

« Neque enim gratia Dei justitiam in alicujus corde invenit, sed facit, » ut dicit Augustinus epistola CVII. Nec potest Deus ex eo dici acceptor personarum, quia in his quæ liberaliter, et gratis dantur non habet locum acceptio personarum, quæ solum pertinet ad distributionem justitiæ; quæ autem fiunt ex gratia possunt dari, vel denegari cui liberit, juxta illud Matthæi xx: *Annon licet mihi quod volo facere; an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?*

II. Secunda intelligentia hujus propositionis est Molinæ in concordia ad quæstionem XIV, artic. XIII, disp. X, et ad quæstionem XXVII, artic. V, disp. III: « Quod facienti quod in se est, » ex viribus naturæ, et si non detur gratia ex meritis (ut dicebant Semipelagiani) datur tamen ex misericordia Dei, sed infallibiliter propter pactum, seu promissionem Dei, quia: *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, et vult omnes homines salvos fieri.* Unde D. Thomas XIV de veritate, art. XI ad primum, dicit: « Quod perveniens ad usum rationis, si sequatur ductum rationis in appetitu boni, et fuga mali, certissime tenendum est, quod Deus revelaret illi ea quæ sunt necessaria ad credendum. » Et ratio Molinæ est, quia alioquin sine sua culpa careret aliquis gratia, quia cum faceret totum quod potest ex propriis viribus, adhuc Deus nollet illi dare gratiam.

III. Hanc sententiam refutavimus supra disputatione XX, articulo primo circa finem. Breviter dico, deficere primum in eo quod de tali pacto, et lege Dei non constat per expressum testimonium Scripturæ, vel traditionem, quæ in specie loquatur de facienti quod est in se ex viribus naturæ: si autem ex congruentiis, vel effectibus illud colligimus, potius constat de opposito,

quia non solet fieri a Deo pactum dandi dona sua pro operibus importionatis, qualia sunt ordinis naturalis ad gratiam supernaturalem. Similiter constat non omnibus bene operantibus ex naturali ratione dari gratiam, sicut multi gentilium caruerunt illa, e contra vero multis peccatoribus dari. Præterea, supposito illo pacto daret Deus gratiam intuitu illius operis naturalis, saltem tamquam conditionis super quam fundatur pactum; alioquin si intuitu illius non daretur, omnino per accidens se haberet illud opus bonum, neque esset proprie pactum, sed promissio sub conditione disparata. Si vero intuitu illius operis daretur gratia, ergo supposito pacto esset illud opus naturale initium aliquod justificationis, et daretur ex parte nostri causa primi effectus prædestinationis, scilicet illud opus naturale intuitu cuius datur prima gratia, quod theologo negant I part. quæst. XXIII, artic. V, ex Paulo ad Romanos IX: *Cum nihil boni aut mali egissent, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, etc.* Imo etiam remoto omni pacto, et infallibilitate non congruit divinæ gratiæ, ut aliquando detur intuitu alicujus operis naturalis, nam hoc ipso quod intuitu talis operis datur, non mere gratis datur, sed aliquid respicitur in subjecto ut conducens præter ipsam gratiam et liberalitatem donantis, et sic non est pura donatio, sed quasi remuneratoria, et quasi onerosa, utpote fundata in pacto, et impletione conditionis ex parte ejus cui datur. Sicut si pauperi datur eleemosyna ex pacto, et conditione quod se humiliet petendo, non est pura gratia: si vero præcise datur quia est pauper, etiam si alias petat, secluso tamen omni intuitu conducente ex parte subjecti, vel pacto illius, sic erit gratia.

IV. Ad fundamentum Molinæ respondetur, quod in illis verbis illuminat omnem hominem, et vult omnes salvos fieri, non dicitur quod illuminat intuitu alicujus operis naturalis, vel pacti, sed omnia opera præveniendo, et sic vult omnes homines salvos fieri. Ad locum D. Thomæ respondetur ipsum non loqui de illo qui sequitur ductum rationis ex viribus naturæ, sed ex supernaturali auxilio, quo adimplet legem, et suam sententiam satis aperte manifestavit hic articulo tertio. Ad rationem dicitur, quod gratia habituali nunquam caret homo sine culpa originali, vel actuali; auxilio vero vel gratia actuali potest aliquando carere sine culpa, ut patet in denegatione primi auxilii efficacis. Quod vero in Scriptura solet operibus misericordiæ promitti remissio peccatorum, respondetur loqui Scripturam de operibus illis factis ex auxilio supernaturali, et motu charitatis, nam ut dicitur I Corinth. XIII: *Si distribuero omnes facultates meas, charitatem autem non habeam nihil sum:* quod si velimus intelligere de operibus naturali virtute factis, non est sensus, quod intuitu illorum, vel ex pacto Deus moveatur ad remissionem peccatorum, sed ex quadam decentia, et æquitate suæ misericordiæ.

V. Restat ergo acceptanda tertia intelligentia S. Thomæ hic articulo tertio: *Quod facienti quod in se est ex divino auxilio (et supponimus quod est efficax, quia de facto facit quod in se est) dabitur gratia quatenus per illam motionem intendit ut quis consequatur gratiam infallibiliter, unde hoc non ipsa natura actuum ut a nobis sunt, sed in infallibilitate divinæ motionis intendentiæ fundatur.* Et loquitur de faciente quod in se est in ordine ad obtinendam gratiam sanctificantem, et tunc facit quod in se est, quando conver-

titur ad Deum toto corde ex supernaturali motione: ad obtinendum autem auxilium, seu gratiam actuale, seu dispositionem requisitam ad justificationem intelligitur in hoc sensu, quod facienti quod in se est, non resistenti scilicet, taliter quod non desit gratiæ Dei, Deus non denegat gratiam actualem ut perficiat ipsam conversionem efficaciter, sed quia hoc ipsum non resistere, et non deesse gratiæ Dei est ex gratia Dei, quia ipse prævenit nos, ut ex uno opere feramur ad aliud, a prima vocatione usque ad consensum, et ut in his non procedatur in infinitum, oportet devenire ad primam gratiam, et auxilium, quod ita est gratuitum, et præveniens quod non supponit hominem fecisse quod in se est, quia nihil prius fecit, sed illa gratia primo datur ut faciat, et sic respectu hujus primæ gratiæ non procedit axioma propositum, sed solum respectu gratiæ subsequentis primam.

## ARTICULUS III.

*Utrum homo possit scire certo, vel conjecturaliter se esse in gratia?*

I. Quatuor sunt in hac parte tenenda. Primum, contra hæreticos nostri temporis neminem scire posse fide divina communi per immediatum assensum fidei sibi esse remissa peccata: secundum est contra Catherinum, nululum posse esse certum de sua gratia per fidem divinam mediate, quasi id colligendo ex principiis revelatis, et aliis quæ experimento percipit, sicut baptizans infantem et videns se habere rectam intentionem videtur esse certus quod sit in gratia: tertium est contra Soto, et alios, neminem posse ita esse certum de sua gratia ut de opposito nullam habeat formidinem, sicut

egocredo Romam esse: quartum est, posse vehementibus, et probabilissimis conjecturis aliquem cognoscere se esse in gratia.

II. Omnia ista procedunt citra specialem revelationem Dei, sed solum ex communiter notis. Similiter procedunt ex cognitione speculativa, quæ respicit esse, vel non esse rei, quia de certitudine practica quæ consistit in regulatione certa, et firma ad gratiam, et beatitudinem, et de certitudine voluntatis, quæ consistit in quadam firma constantia, et efficaci intentione, et fiducia qua tendimus ad Deum et ad gratiam, sic constat spem esse certissimam certitudine practica derivata, et regulata a fide, sed non regulata per fidem, aut credita; fides enim non solum est speculativa in credendo, sed etiam practica in regulando, et sic ostendimus in materia de spe, spem habere certitudinem participative, et practice a fide, id est, regulative: et certitudinem illam esse affectus, non effectus; nunc autem loquimur de certitudine effectus, quæ pertinet ad cognitionem quasi speculativam.

III. Igitur circa prima duo dicta late, et erudite scripserunt auctores nostri temporis, et videri possunt Vazquez disp. cc; Montesinos disput. xxxii, quæst. v; Bellarminus, Soto, Vega, et alii qui ab istis auctoribus citantur. Nobis sufficit determinatio Concilii Tridentini sessione vi, capite ix, ubi probat non posse nos justificari fide, qua credimus remissa esse peccata: « Cum nullus, inquit, scire valeat certitudine fidei cui non possit subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum. » Nec dici potest, quod Concilium solum loquitur quatenus dicebant nos justificari per illam fidem sine aliis operibus. Nam Concilium absolute negat talem cognitionem posse dari, et ex eo probat non posse nos

justificari per illam fidem, quia nullus certo scire valet se gratiam esse consecutum; si autem esset sensus, quia nullus scire valet se gratiam esse consecutum sine operibus, probaret Concilium idem per idem, quia de hoc erat quæstio, an possit sine operibus per fidem cognoscere se esse justificatum: Concilium autem non solum intendit probare quod sine operibus justificemur, sed etiam quod non possimus certo credere remissa nobis esse peccata, et per talem fidem justificari.

IV. Ad instantiam autem de baptizante infantem, respondeo ad summum probare quod possit ille esse certus de gratia alterius, sed non de sua, præter quam quod de sua intentione non est aliquis certus nisi moraliter, cum interiora sua nemo possit certo cognoscere, neque an habeat omnia requisita ad efficiendum sacramentum supernaturale, unde non per fidem, sed per scientiam, vel per experientiam, seu morali modo est de illa certus. Respectu aliorum sacramentorum multo minor est certitudo, quia non constat de dispositione recipientis, de intentione ministri, vel saltem an rite sit ordinatus, vel baptizatus.

V. Contra tertium dictum objicimus verba ejusdem Concilii eodem loco dicentis, quilibet dum se ipsum suamque propriam infirmitatem, et indispositionem respicit de sua gratia formidare, ac timere potest; ergo secundum Concilium non potest dari tanta certitudo de propria gratia quod excludat omnem formidinem. Et non dico, quod semper actu formidet quoties considerat an sit in gratia, sed quod non habeat certitudinem, quæ non compatiatur formidinem, et si non semper illam exprimat, quia Concilium dicit quod potest timere, et formidare. Et certe cum dicitur Proverb. ii: *Quis po-*

*test dicere: Mundum est cor meum: et Ecclesiastici ix: De propiciato peccato noliti esse sine metu, quam certitudinem nobis possumus promittere.*

VI. Dices: Roman. viii dicitur: *Ipsè Spiritus testimonium perhibet spiritui nostro quod filii Dei sumus: et I Corinth. ii: Accepimus Spiritum quia Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sint nobis: et II Corinth. xiii: Vosmetipsos tentate si estis in fide, annon cognoscitis, quia Christus est in vobis, nisi forte reprobi estis: unde et S. Thomas hic articulo xv ad secundum concedit quod qui habet fidem certus est se habere fidem; ergo idem poterit dici de gratia, quia non minus occulta est supernaturalitas fidei, quam gratiæ.*

VII. Respondetur in his testimoniis, et aliis similibus Apostolorum aliquando loqui de se ipso, vel aliis Apostolis, qui per revelationem specialem cognoscebant se accepisse Spiritum sanctum, et esse confirmatos in gratia, unde dicebat: *Nos ipsi primitias Spiritus habentes, etc. et iterum: Certus sum quod neque vita, neque mors, neque aliqua creatura poterit nos separare a charitate Christi, vel aliquando loquitur de tota Ecclesia in qua est certum dari Spiritum gratiæ, non de singulis fidelibus secundum se; vel loquitur de scientia non absolute, et excludente omnem formidinem, sed ut relucet in quibusdam effectibus, et signis externis magnam probabilitatem facientibus; vel denique loquitur de quadam certitudine practica, qua scimus, et gustamus effectus donorum Dei, et accipimus fiduciam de obtinenda salute, quæ et certitudo dici solet, sed practica. Qua ratione intelligo Bernardum sermone primo de annuntiatione, quando dicit: « Adde ut credas, quia per ipsum tibi peccata donantur, » hoc est, testimonium quod perhibet*

in corde nostro Spiritus sanctus, ubi illud verbum credas, est idem quod confidas certitudine practica confidentiæ, non speculativa scientiæ. Ad id quod additur de fide respondetur, quod de fide supernaturali non sumus certi nisi certitudine exercita, non reflexa et signata, id est, non sumus certi de ipso actu tamquam de objecto reflexe cognito quod sit supernaturalis, quia tamen exercemus actum certum de objectis, quorum fidem habemus, ut ait S. Thomas; ideo dicitur quod sumus certi certitudine exercita de ipsa fide, quod tamen non currit in ipsa gratia, et charitate, quia non exercent actum certitudinis in intellectu.

VIII. Circa ultimum dictum plura signa, et probabiles rationes adduci solent a doctoribus de certitudine morali et conjecturali gratiæ, de quibus omnino legendus est S. Bernardus sermone primo septuagesimæ, et sermone lxxix et lxxiv, in Cantica. Breviter dico: Triplex esse genus hominum; quidam qui frequentissime cadunt, et raro surgunt, sed tamen surgunt aliquando, hoc est, agunt pœnitentiam, saltem in ultimo, et de his solummodo non est desperandum, sed tamen nihil securitatis habent, sed omnino est dubium, unde dicit Ambrosius libro secundo de pœnitentia in fine: « Qui autem positus in ultima necessitate ægritudinis suæ acceperit pœnitentiam, et mox reconciliatus fuerit, et vadit, id est, exit de corpore, fateor vobis, non illi negamus, quod petit, sed non præsumo dicere quia bene hinc exit. » Ita Ambrosius. Alii ordinario modo virtutes sæpius cadunt, et sæpius etiam resurgunt, licet non multum ferventer, et de his timendum est. Sed tamen est aliqua probabilitas, et fiducia de illorum gratia et salute, quia ubi non est frequens diligentia, non est mag-

na probabilitas de gratia, nam etiam in parabola virginum in qua (ut bene expendit Cajetanus super caput xxv Matthæi) loquitur Dominus de his qui non perditæ sed composite vivunt, et ipsum tamquam sponsum, non tamquam judicem expectant ratione suæ professionis, vel modi vivendi, adhuc tamen dimidia pars dicitur damnata propter negligentiam interioris munditiæ, et charitatis per oleum significatæ. Tertium genus est eorum, qui diligentiam adhibent in peccatis evitandis, et emundanda conscientia, raro cadunt, statim confitentur, et conantur surgere, diu perseverant sine evidenti peccato mortali, frequentant sacramenta sine notitia indignæ susceptionis, sæpe concipiunt propositum firmum non offendendi Deum, lætitiæ quamdam et promptitudinem in divinis rebus, et bonis operibus sentiunt, non torporem, aut pigritiam, interiorem pacem, et serenitatem habent, castitatem amant, et humilitatem, et patientiam, a temporalibus non multum retrahuntur, vel moti non multum formidant: tales habent signa valde probabilia de sua gratia, vel omnia ista, vel aliqua illorum plus vel minus, et moraliter

sunt certi de sua gratia et salute, sed tamen illis memoranda sunt illa verba Psalmi. xviii: *Ab occultis meis munda me Domine, et ab alienis parce servo tuo*: et illud Pauli i Corinth. iv: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum*. Et si recordantur se peccasse, illa sententia Ambrosii libro secundo de penitentia, capite x, cum timore expendenda est: « Facilius autem inveniri, qui innocentiam servaverint, quam qui congrue egerint penitentiam. » Quod præsertim verum est, cum passim videamus multos qui graviter peccaverint nihil de vita mutare, neque in jejunio, neque in oratione, neque in aliis penitentiarum operibus hæc timorem incutiunt, quantumvis non simus conscius peccati. Illud vero Ambrosii in fine secundi libri de penitentia consolatur: « Cum, inquit, agens penitentiam dum sanus est, et reconciliatus si postea bene vixerit, securus est, quid est bene vivere post penitentiam doce nos. Dico vobis abstinere ab ebriositate, a concupiscentia, a furto, a malo eloquio, ab ipso immoderato risu, a verbo otioso. » Sic Ambrosius. Hic ergo hujus materiæ de gratia, ipsa donante gratia, sit finis.

## QUÆSTIO CXIII.

### DE JUSTIFICATIONE.

Diximus in initio materiæ de gratia, quod S. Thomas ordine scientifico tractatum istum distribuens, primo incipit a quæstione an est: secundo, processit ad quæstionem quid est: tertio, consideravit ea quæ sunt extrinseca gratiæ, scilicet causas et effectus. De quæstione an est egit quæstione cix, tractando de necessitate gratiæ: de quæstione quid est egit quæstione cx, quantum ad quidditatem gratiæ: et quæstione cxii, quantum ad divisionem, quia post definitionem qua explicatur quidditas sequitur divisio. De his autem quæ extrinseca sunt, scilicet causis, et effectibus gratiæ, primo disputavit de causis quæstione cxii. Nunc restat agere de effectibus, qui sunt in duplici differentia: nam alius effectus est quasi formalis, alius quasi effectivus. Formalis vocatur justificatio, et dicitur effectus, gratiæ operantis, sumpta gratia operante pro habitu, non pro actuali auxilio. Effectiva autem sunt actus elicitive procedentes a gratia, et virtutibus, scilicet meritorii, de quibus agitur quæstione cxiv, quæ est de merito.

In exponendo autem illo effectu formali, qui est justificatio, tria præcipue considerat S. Thomas tamquam difficiliora capita ad quæ cæteræ difficultates revocantur. Primum est, ex parte termini a quo, removet enim justificatio peccatum, et ideo requirit remissionem peccatorum tamquam destructionem termini a quo: secundum est, ex parte termini ad quem, scilicet ex parte formæ, qua fit justificatio, quæ est infusio gratiæ: tertium est, ex parte dispositionum, quæ requiruntur ad infundendam gratiam, et quem ordinem, et proprietatem habeant inter se. Ex hoc autem infert tamquam corollarium in calce quæstionis quantum, et quam magnum opus sit justificatio, et an dicenda sit miraculosa. Nos ergo eundem ordinem doctrinæ sequentes totam materiam de justificatione in tres disputationes distribuimus. Prima erit de remissione peccati: secunda de forma justificante: tertia de dispositionibus ad gratiam, et ordine illarum inter se.

#### ARTICULUS I.

*Utrum justificatio impij sit remissio peccatorum?*

I. Conclusio: Justificatio est remissio peccatorum, quando fit per motum a contrario, id est, de statu peccati ad statum justitiæ.

II. Notandum est, quod articulo sexto infra, eandem fere difficultatem ponit D. Thomas inquirens, an remissio peccati sit connumeranda

inter ea, quæ requiruntur ad justificationem impij, unde videtur hoc fuisse superfluum, supposito quod in isto articulo primo jam erat determinatum quod justificatio includit remissionem peccatorum. Sed respondetur duas hic intervenire difficultates, quas oportuit D. Thomas distinguere. Nam in primo articulo voluit distinguere justificationem, quæ est remissiva peccati, ab ea quæ non est remissiva peccati, ut quando infunditur homini non habenti peccatum, ut in primo pa-